

1396. 27. JUNII. PAGI.

*Statuta Generalis Congregationis Regni Croatiae et Dalmatiae a Vicario et
Judice generali regio Nonae convocatae.*

Nos Johannes Dei et Apostolice sedis Gracia episcopus Zagabiensis et secretarius Cancellarius Serenissimi Principis Domini Sigismundi, eadem Gracia regis regnorum Hungarie, Dalmacie, Croatie etc. Marchionis Brandenburgensis etc., nec non in dictis regnis Dalmacie et Croatie Vicarius et Judex Generalis, memorie commendamus per presentes, quod in congregatione nostra generali, vniuersis nobilibus et alterius cuiusvis status, conditionis et preeminentie hominibus, ex mandato et commissione speciali d. Domini Nostri regis, feria secunda post festum sacratissimi corporis Christi, in Ciuitate None celebrata, Nicolaus, filius Theodosij de Spalato, in sua et Duymi fratris sui personis, in nostri presentia personaliter comparendo, proposuit coram nobis, quod in anno, cuius iam quarta instaret reuolutio, predicti Nicolaus et Duymus, sex ballas pannorum diuersorum colorum, et vnam ballam fustagnorum, in Ciuitate Tragurii penes virum Nobilem Nicolaum Jacobi deposuissent. Tamen non post multos dies, quidam ciues, qui tempore dicte depositionis erant exules et exititiij dicte Ciuitatis Tragurii eandem Civitatem Tragurium cum armis regressi, cum alijs eis adherentibus, dictos pannos et fustaneos accepissent absque culpa aliqua Nicolai et Duymi predictorum, et eosdem in suos vsus conuertissent, pro lubitu sue voluntatis. Post hoc vero flectentes animos ad iustitiam, in anno, cuius iam tercia preteriisset reuolutio, constituisserunt nobilem virum Casoctum Augustinum, suum et dicte Communis Traguriensis procuratorem et Sindicum specialem, ad infrascripta specialiter exequenda. Dictus vero Casoctus Sindicus ad executionem potestatis sibi, vt dictum est, attribute, promisisset et conuenisset dicto Duymo dare, soluere, et numerare ducatos 1100, boni auri et iusti ponderis, in Ciuitate Tragurii vel Spalati, in denariis et non in alia re, infra quatuor annos, tunc proxime venturos, sub certa pena, hoc modo et pacto, quod Duymus dictus habere deberet pro solutione et parte solutionis dictos 1100, ducatos auri, quatuor annis continue, incipiendo anno predicto et vt sequitur datum duane pescarie dicte Communis integre et sine aliqua diminutione; et finito tempore dicte pescarie dictorum annorum 4. facta et calculata ratione inter dictas partes de receptione pecunie dicti introitus et facta demonstratione pretium receperissent, quidquid deficeret ad summam dictorum 1100 ducatorum, dictum Commune soluere teneretur eidem statim facta et calculata ratione predicta. De qua summa fatebatur dictus Nicola se recepisse a Zore Marci de Tragurio ratione dictorum 1100 ducatorum de introitibus dicte pescarie, primi anni libras 243 et solidos 3 et quod pro residuo dicte solutionis dicti primi anni vsque ad complementum librarum 500, quibus vendita fuit dicta pescaria, videlicet de libris 257 solidis 17, fecisset eidem sententiam contra dictum Zore, que quidem summa dictarum 500 librarum ascendit ad ducatos 111, solidos 10, visualis monete. Dicebat eciam dictus Nicola, quod de preciis annorum sequentium dicte pescarie, vsque ad hanc diem nihil dedissent